

PROOEMIUM.



Dissensus consensu major! Ut in plurimis
 sic in omnibus verissimum esse effatum di-
 sciplinis, dicerem, nec fallor. Medicinam
 dum præ cæteris considero, à primo ejus
 ortu per omnia ferè secula mutatam quis
 ignorat? Et ad hæc usque tempora malum
 hoc nondum resarcitum esse, quis inficiabi-
 tur? sed quid Consilii? En! Pathologiam
 lugentem præterquam quod Humoristarum
 Galeno duce temporibus summos sustule-
 rit cruciatus, iis nondum liberatam, suos
 adhuc pati manes, constat; quid jam
 consilii? Succurrite Medici, Philosophiæ qui estis corpusculari addicti,
 date remedia; mora nulla, per hanc cum in abditas rerum inquirere cau-
 sas licitum sit, sequamini altiori occupatum indagine Bontekoe in *Oecono-
 mia animali* duas generales omnium morborum causas, Acidum scilicet
 & Viscidum statuentem; sit mora! Sunt Neotericorum multi, sententiam
 quidem hanc amplectentes, sunt plurimi eandem etiam respuentes, dissen-
 sus consensu major! Ast alternis dum mens agitatur opinionibus, bonis
 avibus, Excellentissimus Fridericus Hoffmannus utramque lavare manum, in
 Exercitatione Acroamatica de Insufficiencia Acidi & Viscidi pro stabilien-
 dis omnium morborum causis, studet. Sed ne ultra limites divagemur
 mittimus hanc controversiam, judicium quoque nostrum suspendentes,
 Lectorem v. studii hujus cupidum ad ipsum remittimus Auctorem, qui, cum
 partibus in universali satisfecerit, in particulari nobiscum etiam con-
 sentit; *Viscidum*, inquit, *multorum morborum fomitem & mineram exi-
 stere, loco cit. cap. 2.* Qui locus cum magni in Medicina usus sit, occasionem
 quoque Dissertationem exinde inauguralem construendi, suppeditavit.
 Titulus erit: *Viscidum Sanitatis Offendiculum*; Tu verò, Lector, quacun-
 que meritorum laude dicendus sis, benigniori vultu meum qualemcunq; adspicere
 conatum, ac censorem æquum & interpretem bonum te gerere non dedigne-
 ris. Gloria Soli sit Deo, Cujus auspiciis feliciter omnia cedant!

Az

S.I.